

102

C. Gracchus secundum gereret Tribunatum Plebis. Multo igitur ante quam hæ Colonix vel decernerentur, vel deducerentur, in Italiã erat Ariminum.

Ac illud quidem, quod Manutius addit, non fuisse Ariminum inter duodecim illas Colonias, quia multis annis ante duodecim deducta fuerat, ejusdem profecto est roboris. An iterum quia semel deducta erat, iterum non potuit deduci? Scio id olim in quæstione fuisse; non ignoro Ciceronis responsum *novam Coloniam deduci non posse, novos Colonos adscribi posse*. Verum tamen iterum novæ Colonix deducebantur, idque exprobat Antonio Tullius Philip. 11: *Tu autem insolentiã elatus, omni auspiciorum jure turbato, Caslinum Coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ pene perstrinxisti, ut florentis Colonia territorium minueretur*. Pisaurum certe quater Coloniam deductam fuisse certo scimus, & suo loco patefaciemus; Ariminum ipsum ab Augusto deductam Coloniam testantur marmora. Verum ne recentioribus istis exemplis utamur, Ap. Claudio P. Servilio Coss. A. U. CCLIX. *Signia Colonia, quam Rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero Colonorum iterum deducta est*, ut habet Livius lib. III. Profecto Antium, quo Ti. Emilio ñ Q. Fabio Coss. A. U. CCXCVI. Colonia deducta fuerat, ut Livius docet lib. II., L. Furio Camillo, C. Manio Coss. A. U. CDXVI., ut idem Livius lib. VIII. testatur, *nova Colonia missa, cum eo ut Antiatis permitteretur, si & ipsi adscribi Coloni vellent. Naves inde longe abacta, interdictumque mari Antiati populo est, & civitas data: hæc omnium prima ex Latinã, Civium Romanorum Colonia facta est*. Ac, ut rem peragamus, istæ ipsæ Colonix de quibus nobis est sermo, nisi si Panvinius fallitur, quem tamen in hoc decipi minime puto, quum docet in Imp. Rom. Cap. XI. Thef. Gr. p. 470. ed. Ven. Colonias, quas Frontinus lege Sempronianã deductas scribit, ex iis XII. fuisse, quæ a C. Graccho, & Livio Drufo Tribunis Pl. deductæ sunt, istæ ipsæ, inquam, Colonix in iis fere locis constitutæ fuerunt, quo antea Colonix deductæ jam fuerant. Sic porro Velitræ jam inde a Consulatu A. Virginii T. Vetulii Romanorum Colonia, auctore Livio lib. II., T. Geganio, & P. Minucio Coss. iterum novis Colonis frequentata, ut idem Livius testatur, ac Dionysius lib. VII., lege tamen Sempronianã teste Frontino in lib. de Colon. tertio Colonia deducta fuit. Item Sveffa L. Papiria Cur-